

Rh. 532, 02.

B. m. II.

II C  
766

# ORATIO

QUA  
MENTEM HORATII

IN CARM. LIBR. I. OD. XXXI

SIMULQUE SUAM

X 2313061

## SUB INGRESSUM

ATQUE

## PRIMORDIUM

MUNERIS COLLEGÆ TERTII  
ILLUSTRIS AFRANEI MISNENSIS

CLEMENTISSIME DEMANDATI

*xxxvii. A. P. R. I. A. N. I.*  
A. D. JANUARIUM

A. R. S. clb lccc xxxvi.

BREVITER EXPONIT

M. CHRISTIANUS FRIDERICUS WEISSIUS.

LITTERIS JOANNIS GUILIELMI HARPETERI.



Horatius


Carminum Libr. I. Oda XXXI.

Ad Apollinem.

**Q**uid dedicatum poscit Apollinem  
Vates? quid orat de patera novum  
Fundens liquorem? Non opimas  
Sardinia segetes feracis:  
Non aestuosae grata Calabriae  
Armenta: non aurum, aut ebur Indicum:  
Non rura, quae Leiris quieta  
Mordet aqua, taciturnus amnis.  
Premant Calena falce, quibus dedit  
Fortuna, vitem: dives & aureis  
Mercator exsiccet culullis  
Vina Syra reparata merce  
Dis charus ipse: quippe ter & quater  
Anno revisens aequor Atlanticum  
Impune. Me pascunt olivae  
Me cichorea, levesque malvae.  
Frui paratis & valido mihi  
Latoe, dones, & (precor) integra  
Cum mente: nec turpem senectam  
Degere, nec cithara carentem.



## Q. D. F. E. J!



Naturalem, Auditores omnium ordinum ea, qua decet, cum pietate Prosequendi, naturalem, inquam, omnibus hominibus ac singulis summus ille rerum conditor & auctor Deus felicitatis suæ cupide quærendæ indidit instinctum. Ne vero insita hæc mentis incitatio sit vana & inanis, certam simul quandam perfectamque vere exstare voluit beatitatem. Ea tamen felicitatis hujus indoles, ea est natura, ut perceptio illius non sit hujus vitæ, sed alterius. Ille enim ista hominis est status, quæ bonis frui potest summis ac perpetuis ab omni mali sensu liber & immunis. Id ipsum vero nexus cum malo boni continuus ac indissolubilis his in terris nemini permittit. Ast, o conditoris nostri summam, o infinitæ altitudinis benignitatem! Ut in terris quoque ipsum inter mali sensum homini sit bene, aliud ei præparavit bonum; animum nempe securum, æquum, tranquillum semperque sibi similem. Quem beatæ mentis statum græca lingua loquentes *ἀντὶ ἀφνειῶν* appellare consueverunt. Neque finem tantum Deus, sed media quoque fini huic quam optime respondentia, adesse voluit. Sed, per Deum immortalem! quæ corruptorum hominum in summis his quærendis bonis mediisque recte applicandis cæcitas? quæ stultitia? quæ est per-versitas? Perpetuam alii boni malique conjunctionem ac vicissitudinem obliti summam hac in vita felicitatem consequendam esse sperant. In divitiis eam alii quæsitant caducis. Gloriam alii, honores & magnificentiam finem habent summum. Alii voluptatibus, quibus dulciter & jucunde sensus commoventur, disfluentes se beatos gloriantur. In aliud alii,

alii, ut quemque animi fert in dolis, spe felicitatis ibi perfruendæ rapiuntur. Et qui illis sapientiores excusatiùs errarunt, in virtute eam sola, aut in sola veritate, aut in sola corporis integritate, inveniri statuerunt. Spe tamen omnes sua turpiter dejecti in perditis & desperatis illam habuerunt, consilii quid demum capiant, aut quo se vertant, nescii. Hinc tot nuncupantur vota. Hinc tot supplicationes atque preces. Hinc tot noctu & interdiu optata audiuntur. Quæ, si rectius examinantur, humanæ plerumque corruptionis, cæcitatibus & stoliditatis testes sunt tristissimi. Sed valeant hi miseri & male habeant instinctu suo naturali turpiter abusi! Longe illi aliter, quibus mica falis & scintilla superest iudicii, quosque amens furor impotentium affectuum haud plane excæcavit, sentiunt & agunt. Quin ipsæ gentes illæ a veri Dei cultu alienæ licet summum alterius vitæ bonum nec agnoverint, nec anhelarint; in summo tamen hujus ævi bono cognoscendo & quærendo operam haud contemnendam collocarunt. Pluribus id dare comprobatur, in proclivi esset. Ex hujus vero veritatis testibus, quorum nubes nobis sese offert ingens, unum jam Horatium sit satis appellasse. Quam integre, quam sobrie de summo hujus vitæ bono iste judicavit, quam ardentem illud appetierit, id ipsum oda libri primi prima supra trigesimalam, quam haud ita pridem publici loco tentaminis, licet propter temporis angustias festinanter admodum, prælegere mihi contigit, quod satis est, evincit. Et adeo, profecto! optima egregii hujus carminum conditoris effata arriserunt, adeo complacuerunt, adeoque delectarunt, ut etiamnum hæreant menti meæ firmiter impressa. At vero, cum jam illa ego rerum utar facie mearum, qua sub novi Clementissime mihi mandati muneris initium intima animi mei sensa Vobiscum communicare; qua Vobis ingenue, qua mente, quo animo, quo fine ad provinciam juventutis instituendæ accedam, significare jubeor; qua demum pia facere vota res ipsa flagitat; quid illis poëtæ consiliis, quid illis Flacci votis ad rem præsentem aptius & accommodatius fingi, aut excogitari possit, ego certe non video. Agedum itaque! in ipsas odæ hujus medullas penetremus. Explicemus bona mentis cogitata, quæ memoriæ auctor prodidit, & excutiamus. Ad rerum illa denique nostrarum statum, quantum ejus potest fieri, accommodemus. Absit, id ut mihi vitio vertatur. Virum enim in re laudabili etiam a sacris nostris alienum viæ ducem sequi, quis, quæso, prohibet? Aditis modo,  
Audi-

Auditores pie Honorandi, mentibus vestris & quæ eloquentiæ meæ defunt, benignitate Vestra peramanter suppleatis. Amplius nil dico. Summa enim, quam in Vobis veneror, humanitas, quævis me sperare jubet optima. Prodeas itaque jam in medium, mollissima carminum dulcedine memorabilis Horatii, quem in gratia deliciisque habuit Augustus ille Augustissimus. Prodeas, apte Romanæ lyræ fidicen, qui in hocce studiorum genere vix parem, superiorem vero novis neminem. Expromas illas tuas animi sententias, & de summo hujus vitæ bono mentem tuam nobis nunc aperias. Et ecce! Videor mihi jam videre novum istud templum, quod Cæsaris pietas in palatio Apollini, Musarum illi præfidi, statori, nutritori & defensori dedicat, apertum; Augustum vero stantem & sacra facientem. Videor mihi simul conspicerem vatem illum gentis togatæ lyricum ad latus sese dantem Augusto, & vinum libantem purum, & de patera in aram effundentem, & ad orientem, erecto vultu, manibus in cælum protensis, conversum, & voce Apollinem supplice precantem. Quin ipse, nisi omnia me fallunt, Apollo meis oculis offertur divus, qui volens atque propitius libanti annuit his eum verbis alloquens: Quid sibi vult, pie vates, tua libatio? quid habes in optatis? quid oras? quid a me poscis? Et, o Flaccum vere sapientem! o preces pias! o desiderium prudens! o vota justa & quibus fiat satis, dignissima! Nullam hic loquentem audio stultitiam. Nullus pravis in votis ejus affectibus est locus. Tacet, en! ambitio inflata. Quiescit ardens avaritia. Nec voluptas ei falsa votum nunc suppeditat. Nullos optat honores, nullas divitias, nullas voluptates. Non regna splendida feracis flagitat Sardinia; non Calabria eximie nobilitatis equos; non prædia Campaniæ magnifica; non vestes auro gemmisque distinctas; non suppellectilem ebore fulgentem Indico; non, quæ ad magnificentiam & splendorem faciunt, reliqua. Nec aurum etiam, nec opes concupiscit, quas avaritia miserorum hominum insatiabilis terra marique ipso cum vitæ discrimine corradit. Quin nec voluptates ipsi curæ sunt cordique. Non dapes appetit lautas atque pretiosas; non festa: non unguenta; non convivium: non vinum sitit, quod profert Hispania, quod ager gignit Sabinus, generosum; non vestes cupit molles, pulchras auroque & purpura fulgentes; non merces postulat, quas ad effeminandos viros exteri important mercatores; non reliquas desiderat corpus titillantes delicias. Ut in pauca conferam omnia; nil eorum poscit,

A 3 quæ

quæ maxima pars hominum in bonis habet summis. Probe enim novit, illa partim esse falsa, inania, incerta, vana & futilia; partim fragilia, caduca, fluxa & fugacia; partim etiam stolidi, injusta, nefaria, impia & vesana; verbo; plurima ex eis ne quidem vera esse bona, nedum summa. Longe his nobiliora, longe certiora, longe sunt præstantiora, quæ exoptat. Et quid poscit vates? quid orat? quid expectat? O desiderium optimum & exquisitum! Mentem in valido corpore precatur integram. Quid vero caput sit petitionis? quid summa hujus voti? quid sit mens integra? quid corpus validum? id jamjam brevibus exponam. Mens lingua Latii loquentibus pars illa hominis est melior & quasi eminens, qua vult & cogitat, & quæ a brutis eum animantibus distinguit. Partibus pars hæc hominis, ut constat inter omnes, componitur duabus. Intellectu nempe, quo sentimus, quo cogitamus, quo investigamus media, quo recordamur, quo judicamus. Voluntate, quæ agnita ab intellectu bona appetit & declarata ab eodem mala aversatur. Mentem vero integram vocamus illam, quæ & partes suas, & vires, habet integras. Et ex parte quidem intellectus, quæ nullo stupore, nulla mentis alienatione laborat; quæ nullis ignorantiae tenebris obscurata, nulla præjudiciorum caligine excæcata vires recte percipiendi, recordandi, inveniendi, judicandi non possidet aut debiles, aut plane nullas. Sensibus quæ contra ea gaudet firmis atque certis; quæ ingenio prompto & acuto, memoria capace non minus, quam tenace, judicio recto, acri & subacto est ornata; quæ demum sapientia consilioque multum potest. Ex parte vero voluntatis; quæ rabido illo turpissimorum affectuum impetu non abrepta lubenter rectæ ductum rationis sequitur illa tantum, quæ sanus intellectus vera bona dictitat, percipiens, & quæ tamquam mala damnat, fugiens; & ut dicam brevibus, quæ omnis generis virtute exornata pie cuncta, juste & prudenter agit. Hinc ex illa quoque parte integra merito mens ea appellatur, quæ non nisi bene recteque factorum sibi est conscia. Hæc est mens ista integra, quam alio alii nomine sanam, & bonam, & rectam, & justam nuncuparunt. Hæc est illa mens, quam inter Deas relatam sub Bonæ Mentis nomine invicti isti Quiritis templis ac aris pie coluerunt. Hæc est mens bona, quam Romanæ eloquentiæ princeps, Cicero, quam disertus ille morum præceptor, Seneca & complures alii laudibus in cælum quasi evehunt amplissimis. Hæc est mens ista integra, quam

Hora-

Horatius noster omnibus votis vehementer iterum iterumque expetit & cuius unius desiderio tenetur, æstuat & flagrat. Hanc sibi adesse cupit, eamque in corpore valido. Id vero corpus demum esse validum, quod a morborum vi & impetu liberum & immune integris sensibus, membris illæsis, firmo robore, optima humoris & caloris dispositione & incorrupta viget sanitate, Vos omnes habeo consentientes. O bonum ingens mens in corpore sano sana! Nec id tamen satis est orasse. Mala etiam bono huic contraria prudens Flaccus simul deprecatur. Annis jam Horatius provecior senectutem sensim sine sensu adventare sentiebat. Probe vero norat, quantis molestiis, quantis miseriis, quantis calamitatibus plerumque esset obnoxia ætas illa confecta, imbecillis, morosa, decrepita, edentula, frigida, enervata & exsanguis. Voce Deum hinc precatur supplice, ne senectam ipsum turpem & cithara carentem degere permittat. O consilium prudens! o preces laudabiles! Quid enim est turpis senex? Quid est carens cithara senectus? De utroque ego quid sentiam? Vobiscum brevibus communicabo. Ad prius jam quod spectat, vox turpis tam ad animum, quam ad corpus, commode refertur. Ad animum respectu habito, turpem illum judicamus senem, qui non mentem gerit integram. Qui mente contra ea captus nequiter delirat; qui, intellectus viribus quam maxime debilitatis, præconceptis opinionibus abreptus in stupore & fœda rerum ferme omnium inscitia versatur: qui, templo sapientiæ clauso, turpi litat stultitiæ; qui ambitionis, avaritiæ & voluptatis furiis exagitatus nefandis vitam vitiiis sceleribusque agit obrutam & contaminatam; qui ob id ipsum labes & vulnera habens in animo maleficiorum conscientia opprimitur. O turpem senis animum! Corporis autem respectu is senex judicatur turpis, qui sensuum fere omnium, rerum quippe nunciorum ac interpretum, ministerio destitutus stipitis atque trunci instar cujusdam libere non potest agere; qui mille & mille morbis præterea voluntariis ac desperatis & e pessimis maximam partem vitiiis contractis adlictus in fordibus & squalore vivus quasi jacet sepultus, hominibusque penes se contemptui est ac detestationi. Huic poëta noster jungit senectam cithara carentem. Signum autem oratorum more hoc loco pro re significata collocari, quilibet, qui vel quidquam videt, videt facile. Cithara itaque carens senectus meo quidem iudicio denotat illam, quæ non capit dulcedinem istam e musicæ & poëtices studio in nos redundantem. Et, profecto;

fi

si recte omnia perpendo, senectam Horatius illam inertem, anxiam, tristem, difficilem, morosam, inquietam, quæ nullum amplius animi relaxationem, nullum deliciarum, nullum hujus vitæ jucunditatum habet sensum, mihi videtur esse deprecatum. Ut me paucis nunc expediam: Senectutem Flaccus noster honestam, vegetam, florentem, literatam, hilarem & jucundam votis optat omnibus. Quæ vota numne eodem, quo priora illa, redeant, Vos ipsos, Auditores Optimi, dabo judices. Opinione saltem mea senium turpe & cithara carens illi, quod mente in valido corpore integra superbit, est oppositum. Mali vero depulsionem serio qui cupit, boni ille contrarii possessionem non potest non appetere. Ad unum itaque eundemque & petitio, & deprecatio, poetæ tendunt finem; ut mentem nempe ipsi Deus in corpore bono bonam largiatur. Eja! Flacce prudens, age! moras tolle! perge, quo cœpisti! Ad bonum vitæ hujus te hæc via ducit summum. Ast, quid loquor? Num mente in corpore sano sana summum hujus ævi bonum absolvitur? Absit, ut hæc affirmare audeam, ut libere potius, sententiam ea de re mihi longe esse aliam, profitear. Non mens in valido corpore integra bonum nostri seculi est summum; media tamen nobis illud consequendi tradit præstantissima. Et ita certe habet. Ille enim nostri status animi, quem Græci *ἀντράχθειαν*, Cicero securitatem, Seneca animi tranquillitatem, alii innoxiam & ab omni culpa vacuum delectationem, alii aliter appellare consueverunt, ille, inquam, animi status est & recte judicatur summum his in terris bonum. Summum autem hocce bonum illa vocatur mentis nostræ facies ac dispositio, qua forte nostra contenti & adquiescentes sapientem illam boni cum malo permissionem æqui bonique ea, qua par est, cum moderatione facimus; qua nec in rebus secundis animum insolenter efferimus, nec in adversis nimium demittimus, despondemus & abjicimus; qua mediis in calamitatibus procellis ac fluctibus, ut rupes, consistentes immoti mentem minime perturbatam, invictam, firmam, erectam, vere magnam & ad omnes casus ferendos paratam habemus; qua, ut ne sim longus, animum in utraque fortuna quietum, securum semperque sibi similem servamus. At vero sapientia, virtus cum prudentia conjuncta, & corporis sanitas, seu, quod idem est, mens in corpore valido integra, media illa summum istud bonum obtinendi sunt communia. Hominem autem ingenuum, qui media serio cupit, finem etiam optare, tam cer-



certum est, quam quod certissimum. Minus igitur audacter affirmabo, Horatium, dum intelligentiam sapientiæ lumine poscit exsplendescentem; dum voluntatem a tristi illo affectuum imperio liberam, a vitiis emendatam, ac pietatis, justitiæ & prudentiæ virtutibus exornatam orat; dum corpus validum precatur; quietum simul istum & placatum animi statum, ad quem illa ducunt, flagitare. Hic est animi status iste optimus, rebus qui placide suis adquiescens nullos honores, nullas divitias, nullas voluptates litit & affectat. Hæc frugalitas est illa laudatissima, quæ tranquille fruitur paratis, quæ tenuem victum, olivas, cichoream & leves malvas, reditusque vitæ honeste tolerandæ tantum suffecturos æqui facit bonique. Hoc est summum bonum, quod senectam reddit vegetam, hilarem & honestam. O bonum jucundissimum & quovis auro, quovis pretio præstantius! O bonum, quod non nisi a Deo, omnium bonorum auctore & datore, precari & expectare licet! Id quod etiam prudens Flaccus in oda janjam toties laudata optime observat. Ast, quid dico, vatem illud ipsum observare? Veri assertio mea vix est similis. Ipse sibi poëta videtur reclamare. Quid enim est, quod epistola libri primi undecimesima Jovem, qui aufert & donat, verbis oret difertis, det modo vitam, det opes, vitæ suffecturas; animum æquum se sibi ipsum esse paraturum? Sed salva res est. Nec Flacco Flaccus contradicit. Porticum tamen hoc ejus votum olet Stoicorum. Illorum enim opinione quædam hujus vitæ bona in nostra potestate plane non sunt posita, ut vitæ productio & opes, fortunæ illa missilia & dona incertissima. Horum a solo Jove Horatius expectat consecutionem. Quædam contra ea in nostro ex parte arbitrio sunt constituta. Quæ inter animum æquum & tranquillum referebant. Persuasus vero Flaccus erat, vires sibi quasdam insitas & quasi innatas esse & ingenitas, quibus summum hujus vitæ bonum posset adipisci. Hinc dicebat, æquum animum se sibi ipsum esse paraturum. Noverat tamen simul, plurima facientia ad hunc finem media cæli clementis esse dona. Noverat etiam, quam turpiter sæpius homines in inconsulte eligendis mediis, nec rite applicandis fallerentur. Hinc Apolliniam, prælidem illum Musarum & statorem, ut auxilium sibi ea in re jungat adjutumque se veniat, piis precibus implorat. Hæc, Auditores Optimi, vera facies, vera summa votorum ingenui illius Romanæ lyræ est fidicinis. Quæ, si virum, qui, sacris fictis fallisque ejuratis, Christo dedisset nomen, auctorem habuissent; si ad verum illud in tribus unum

B

per-

perfectissimumque Numen, a quo sunt omnia, quodque solum est a se ipso, essent facta; si e mente, quæ divina radians sapientia spem suam fiduciamque in Jesum, humanæ felicitatis restitutorem, collocasset, essent profecta; optima certe omnibusque numeris viderentur absolutissima. Sed, quomodo etiam cumque habeant, a præsentis tamen instituti mei ratione nec erunt absõna, nec aliena. In templo enim & ipse ego mihi jam constitutus videor. In templo; non quod cæca superstitione, nescio cui, Apollini; sed quod provida gloriosissimæ memoriæ majorum pietas summo Numini, vero illi Musarum conditori, statori, nutritori ac defensori dedicavit. In templo, quod sapientiæ, virtuti, prudentiæ, artibus optimis, &, ut omnia brevibus dicam, salutis publicæ est consecratum. In templo, in cujus ipse sacerdotium nunc venio, cujusque ex parte cura mihi est concredita. Visum enim est Tibi, o Deus, sapientissimos inter sapientissime! conditor & patrone scholarum indulgentissime! visum est Tibi, me in pulverulentam scholæ vitam immittere, gregemque Tuum tenellum, in quo patriæ spes nititur, curæ ac fidei meæ clementer adcredere. Nullis hic in exploranda Tua voluntate auguriis est opus. Tam ego certus, tam de nutu Tuo sum persuasus, ut nihil possit esse supra. Ex hocce nutu Tuo, ex hoc arbitrio Tuo pendeo jam totus. Ad hanc Tuam voluntatem me totum fingo & compono. En Tibi me præsentem! En Tibi me ad quævis paratissimum! Velle Tuum numquam non velle erit meum. Mente simul infinitæ Tuam altitudinis clementiam, qua me dignatus es indignum, veneror gratissima. In grati vero tesseram animi quæ Tibi pia mente offeram, plane non invenio. Nam summa licet Tua benignitas nulla sacrificia, nullas victimas, nulla flagitet libamina; signum tamen illa grati animi postulat bonum, purum, sanctum & incontaminatum. In me vero quidquid boni, quidquid puri; quidquid sancti; quidquid datur incontaminati, id omne est & erit Tuum. Pro meo itaque, Pater Optime! quod Tuum est, accipe. Accipe clementer mea omnia, quæ tamquam Tua Tibi reddo magis, quam offero. Omnes ego mentis corporisque vires Tibi uni & soli do, dico, dedico. Quin ultimum vitæ meæ halitum, quin extremam, quæ in pectore movetur, sanguinis guttulam in gloriam nominis Tui amplificandam læto lubentique animo effundam. Maximas vero jam post Deum grates Tibi, Rex Sarmatarum Potentissime, Princeps Saxonix Elector Serenissime, Pater patriæ Clementissime, Auguste Gentis Tuæ vere Auguste, debeo. Placuit Tibi, me quoque lætabundum in summam summæ Tuæ Clementiæ ac Munificentiæ admi-

admirationem rapere. Placuit, nutantem & labentem ferme civis subjectissimi fortem erigere ac firmissimis munire fulcimentis. Placuit, Deo sic volente ac dirigente, instituendæ juventutis studiosæ provinciam Clementissime mihi demandare. O munificentiam summam & plane incomparabilem! Submississima jussu Tua exoptata veneror cum pietate, & quantus, quantus ero, in illis exsequendis & exhauriendis ero totus. Quin ad sacrosanctum Tuum solum supplex provolutus purpuramque Tuam osculans subjectissima, qua fingi atque cogitari potest, cum reverentia fidem promitto perpetuam obsequiumque spondeo æternum. Et quamquam Tibi tanta pro tanto beneficio gratia referri non possit, quanta debetur; habenda tamen est, quantam animus meus potest concipere maximam. Certe, si dati beneficii qualiscumque solutio accepti perennis est confessio: me non ingratum esse moriturum, sanctissime polliceor. Prædicabo, quoad spiritum trahere licebit, eximium Gloriosissimæ Clementiæ specimen. Nec dulcissima ejus recordatio, nisi mecum, extinguetur umquam. En! annorum Tibi partem meorum dare sum paratus. Quin pro pretiosissima Tua vita vitam cum sanguine, ut civem decet devinctissimum, quamprimum jusserit necessitas, late subenterque profundam. Splendidissima vero instrumenta, per quæ summum Numen, Paterque patriæ Clementissimus salutis meæ bene consulere voluerunt, Vos, Patres Senatus Ecclesiastici & Incliti Proto-Synedrii Reverendissimi, quippe quibus sacrorum scholarumque curam Saxo noster Serenissimus per terras ipsi parentes commisit, venerabundus appello. Vobis enim præter ullam meam spem & expectationem, præter ullum meum meritum publicum docendi munus in illustri schola hac, quæ Misnam ornat, provinciali mihi conferre Gratiose benigneque collibuit. Obstupeſco, Heros Perillustriſ, Virique Magnifici, erubescio! Vicit enim summa Vestra Gratia atque benignitas pietatem in Vos meam, quam tamen maximam, quam submissimam, quam invictissimam esse credideram. Mirum quantum jussa Vestra improvisa mentem meam commoverunt. Adeo, profecto! ut & pudoris, & timoris, & spei, & referendæ gratiæ, & obsequii ardoris plenissimus, quid statim consilii capiam, anceps hærens dubiusque post diuturnum satis silentium non nisi illa ingemiuarem: O beneficium quam maximum & immortale! O indignitatem meam tristem! Ad me tamen rediens divinamque in Vestra voluntatem osculans ulla sine mora morem ei gerere decrevi. En Vobis me, qui ad arbitrium nutumque Vestrum me totum formo & accommodo! En Vobis mea omnia,

B 2  
quæ

quæ Vestræ voluntati penitus permitto, trado & addico! Si quid in me boni, si quid ingenii, si quid doctrinæ, si quid est habilitatis, illud omne tamquam Vestrum, ut lubet, usurperis. Volentem me ad nihil non habebitis & paratissimum. Exsequar nullo non tempore mandata Vestra pro virium mearum modulo, quem sentio, quam sit exiguus. Quibus ut conatibus adquiescatis, ut, si non Vestræ de me expectationi omnia responderint, ea mihi in rebus scholam spectantibus adhuc novo minusque exercitato Gratiose benigneque condonetis, maximo Vos opere rogo ac obtestor. Responderem Vestræ in me gratiæ & benignitati, redderem benefacta, si præter gratæ voluntatis, obsequii ac pietatis gloriam aliquid mihi esset residuum. Accipite igitur, quod habeo, animum nempe gratum & in Vos quam maxime pium. Quin per ego id officium, quod Vobis me obstrictum tenet; per ego omnia, quæ chara mihi sunt & sancta, juro, me prius mori velle, quam committere, ut tanto Vestro beneficio videar indignus. Et o utinam intimos animi mei aditus reconditosque mentis meæ recludere possẽm ac patefacere recessus! O si abdita & arcana animi mei sentia & cogitata aperta ostendere & denudata integrum mihi esset ac permissum! Sic ipsi Vos, Auditores pie Devenerandi, primo statim ad spectu possẽtis iudicare, qua mente, quo fine, quibusque causis impulsus munus hocce scholasticum Clementer mihi adsignatum susciperem. Nullo tamen modo cum id valeam efficere, nihil jamjam superest, quam ut Deum tester immortalẽ, me sine dolo malo, sine fraude, sine fuce; animo sincero, integro atque ingenuo, sine justo honestoque, & causis probis ac innocentibus in vitatum Musarum hancce ingredi palæstram. Nihil ego occultans, nihil dissimulans, nihil mihi ipsi indulgens genuine & aperte confiteor, mentem ex parte mihi cum Horatio eandem, eandem sedere sententiam. Nullos (vere loquor & ex animo) nullos sitio honores, nullas quærito divitias, nullas volo voluptates. Non enim sum ignarus, & frustra hæc in scholis expectari, & impedimenta magis esse gravia, quam apta media ad summum illud bonum, quod omnes ingenui anxie desiderant, feliciter consequendum. Hæc causa, hic scopus mihi unus est & solus, ut finibus illis divinis satis, quantum ejus fieri potest, faciam. Hos inter gloria summi Numinis amplificanda & primus est, & princeps. Cui indiviso nexu jungitur alter ille, patriæ nempe, cujus me ipsum portionem novi, salus. Cura itaque prima erit & præcipua, ut Deo, Dei quæ sunt, tribuam. Quod superest temporis, quod animi corporisque virium relinquatur, id omne tunc eo impendam,


ut scholæ mihi que numquam non sit bene. Pro viribus igitur & meam, & aliorum penes me, animi tranquillitatem stabilitum ibo & ad jutum. Nihil sane, Collegæ Honoratissimi Coniunctissimique, quibus Dei voluntas socium me comitemque junxit, nihil æque mihi gratius erit, nihil acceptius, nihil antiquius, ac si amicitia candida & intemerata, auxilio qualicumque aliisque rebus vel paucula ad mentis Vestræ securitatem potero conferre. Et si quoque vires meæ debiles admodum ac imbecilles ad quietum animi Vestri statum aliquid adjicere plane non permetterent, de me tamen Vobis per velim persuadear, me omnia prius esse commissurum, quam ut ullo ei modo esse videar impedimento. Singularem vero, quam inesse Vobis noui, humanitatem mihi quoque in acquirendo illo bono amicam numquam non laturam esse opem, sum persuasissimus. At enim vero, ut tibi quoque, Ornatissima & Dilectissima studiosæ iuventutis Corona, ut, inquam, & tibi constet, qua mente, quo ad te accedam sine, omnia, quæ cor tegit, candide aperiam. En tibi, patriæ spes Grata atque Dulcis! en tibi pectus ingenuum, fidele, tuique amantissimum! Vestra, o mei! omnium salus, vestra felicitas, vestra quies animi curæ mihi semper cordique erit. Nullas ego curas, nullas vigilias, nullos labores, nullas molestias vestri causa fugiam & recusabo. Docebo pro viribus a Deo concessis, qua ratione summum illud Numen a vobis recte sit cognoscendum non minus, quam colendum. Monstrabo vobis, muniam & præibo viam, quæ ad veram, perfectam & consummatam ducit nos felicitatem. In animo tandem æquo & tranquillo in vobis omnibus, Deo volente & adjuvante, producendo operam navabo omnem. Media nobis ad id ipsum efficiendum supersunt & certissima, & præsentissima. Agedum itaque, o Juvenes summi vestri boni cupientissimi! succurrite mihi vobis in causa iusta & optima opem strenuam pollicenti. Agedum! Discutiamus atras præiudiciorum nebulas! Dispellamus cæcam mentis ignorantiam! Accendamus lumen sapientiæ! Ejiciamus mente nostra infelicem illam omnium malorum matrem, amorem sui ipsius inordinatum! Expellamus simul cum matre filias turpissimas, insanam ambitionem, fordida avaritiam, & fœdam voluptatem, tamquam adversarias humanæ salutis juratas & infensissimas! Nuncium mittamus vitiis istis perditis! Virtuti contra ea nos tradamus totos pie omnia, iuste & prudenter agere adfueti! Magnam quoque curam diligentiamque in tuenda valetudine adhibeamus! Verbo; mentem in valido corpore integram servare ope summa nitamur. O me felicem, si

vos hac ratione novero felices! Nil vero a vobis, Alumni Musarum Optimi, pro ope præstita ingrati animi tesseram æque flagito, ac illud, ut ne meæ quoque animi securitatis curam deponatis omnem. Per ego vos vestram salutem; per ego vos vestrum in me amorem; per ego vos omnia, quæ docentibus discentes jungunt, jura oro ac obtestor, ne, quæso, placidum & quietum mentis meæ statum conturbetis. Peramanter potius efficiatis, (si primis atque præcipuis meis precibus apud vos est locus) & pietatis constantia, & morum probitate, & obsequii præsentia, & amoris in me integritate, ut mei æquitas animi majores in dies singulos accessiones, majora incrementa capiat. Sed quid verbis opus? O mens ista bona, cujus oculi hi vestri sunt indices; vestra in præceptores pietas, quam e vultibus his ingenuis intelligo; vestra modestia, quam frontibus hæc video inscriptam, tranquilla mihi tempora perpetuamque promittunt animi serenitatem. Nil enim & ego mei ipsius causâ in hoc noviter suscepto munere quaerito aliud, quam animum æquum, tranquillum semperque sibi similem. Animum, qui sorte sua victuque tenui contentus fruitur paratis. Animum, qui senectutem vegetam, honestam jucundamque habet comitem. Et quid, amabo, fini huic meo melius inservire potest, quam mens in corpore sano sana? Hanc itaque unam & solam desidero, hanc expecto, hanc servare cura curatissima studebo. Quem ex voto si affectus ero finem, quæ si semper præsto fuerint media, tunc demum cælum quasi in schola me invenisse lætus gloriabor. His ego dictis jamjam adquieturus essem, nisi rerum mearum temporisque ratio pia quædam addere vota mandaret. Munus, quod, Deo volente atque propitio, nunc ingrediatur, novum, nova quoque vota flagitat. Permittite igitur, Auditores Optimi, ut officii mei memor illa nunc exsequar, quæ pietas suadet & ipsa ferme jubet necessitas. Quo vero Tibi præcipue, Pater patriæ Clementissime, unicus civium Tuorum amor, unica spes, unicum desiderium, solatium atque delictum, quo, inquam modo Tibi subjectissimam meam pietatem his noviter cæpti muneris solemnibus exsolvam dubius adhuc hæreo & incertus. Vota enim Majestas Tua deposcit perfecta omnesque numeros habentia. Hæc vero imbecilles ingenii mei vires superant longissime. Adquiescas hinc Clementissime, si vota ab alio quodam mutuo desumpta pro Te mea profert infirmitas. Mentem Tibi, Rex Optime, Maxime, & Stirpi Tuæ Serenissimæ summum, quod pie precor, Numen per longam adhuc annorum seriem in valido corpore conservet integram. Jubeat idem Deus clementer, ut Saxonia nostra

nostra dilectissima in reliquum etiam tempus secure ac placide sub umbra purpuræ Tuæ requiescat. Hoc ego, hoc una mecum omnes ingenui cives contentenda quadam pietatis exoptant. Eadem ferme a me pietas jam exhibenda erit Vobis, Heroës Perillustres, Virique Excellentissimi, Mæcenas Gratosissimi & Colendissimi, quos Amicos sibi & Consiliarios Rex noster Indulgentissimus elegit; quorum consiliis salutaribus publica salus nititur; quibus sacrorum in primis rei que scholasticæ cura est commissa. Faxit rerum omnium, quem assiduè imploro precibus, præpotens Deus, ut animus Vobis in corpore sano semper sit integer. Faxit, ut mentis Vestræ tranquillitas mediis hisce de die in diem magis magisque augeatur atque fulciatur. Faxit, ut nullus casus adversus, quantus etiam quantus sit, illam rursus turbare, labefactare, aut plane evertere valeat. Ad Vos jam, Collegæ Æstumatissimi, quos idem vitæ genus, eadem studia, eadem schola, idem animus, eadem iussu mihi reddiderunt conjunctissimos, vota mea se convertunt. Vos quoque meus hanc in scholam ingressus ominibus profequi jubet optimis. Nil autem nisi unicum illud, vero tamen mentis affectu, volo, Vestris Deus benigne respondeat optatis. Quid vero vir de schola melius & majus habere potest in optatis, quam ut liceat ipsi semper mente in valido corpore gaudere integra? Et o annuat petitis Vestris Mens Divina! Annuat, ut securi & quieti paratis una mecum frui, & senectam aliquando vegetam, honestam & jucundam degere possitis. Restat, ut & tibi, circumfusâ Alumnorum Dilectissimorum concio, sub novi muneris mei initium fausta quæquæ ex ipsâ animi mente acclamem. Et quid, quæso, o optimæ spei Juvenes & ad nobilissima quævis nata Pectora! oratis? quid deposcitis? quid exoptatis? Ast, quid multis? Quis est tam amens, cui non sint in optatis optima? Optima igitur quæquæ quin & quilibet vestrum uno quasi ore sibi sit precaturus, nullus dubito. Quæ vero sint his in terris optima, Horatius vos docuit. Veniant ergo vobis, illa, quæ expectatis, optima. Mentem vobis det in corpore sano bonam summus ille omnium bonorum auctor & largitor Deus. Mentem, quam, expullis tenebris præclara ornât sapientia, procreatrix illa & quasi parens laudatarum artium. Mentem, in qua indoles virtutis fulget, quamque, extirpatis vitiis, pietas, justitia & præstans habitat prudentia. Mentem in corpore firmo, illæso, & bene constituto. Sic media vobis umquam nulla deficient, quibus & vestram & aliorum aliquando vitam tranquillam reddere possitis & felicem. Cæterum, ut pro mea etiam salute justa quædam vota hac rerum tempe-


state

state addam, ne indig<sup>n</sup>emini. O scholarum præses, conditor, stator & fervator indulgentissime, Deus ter Optime terque Maxime! cujus beneficio sum & vivo, & cujus jussu hancce cathedram adscendi, accipe, rogo, clementer, nec repudia, quas pia mente ad Te fundo, preces, optimæ spei plenissimus. Non illa posco, quæ pars hominum maxima litit & anhelat. Nullos ego honores, nullas divitias, nullas oro voluptates. Hic potius voventis animus, hæc summa est votorum. Avertas, precor, a me animi stuporem & delirium. Avertas scædam præjudiciorum noctem. Avertas pravam mentis cæcitatem. Averrunces tetram nefandamque rabidorum affectuum tyrannidem. Averrunces turpes & infames vitorum maculas, nec non horrendam istam & detestabilem flagitiorum scele-  
 rumque sceditatem. Averrunces angores atque cruciatus mentis male factorum sibi conscia acutissimos. Depellas a me porro tristem sensuum amissionem. Depellas graves difficilium morborum impetus. Depellas denique omnia, quæ senectutem meam aliquando reddant turpem, inhonestam, tristem & turbatam. Des contra ea sensus animi integros officioque suo rite defungentes. Des vires intellectus firmas ac incolumes. Intraas mentem meam vera sapientia rerumque divinarum & humanarum scientia imbuas. Disponas ita voluntatem meam, ut non nisi rectæ illius ac emendatæ rationis ductum amet & sequatur. Efficias, ut virtuti illa uni & soli dedita pie omnia, & juste & prudenter agat. Efficias, ut conscientia mihi semper vitæ bene actæ sit jucundissima. Largiaris, ut sensibus membrisque corporis valentibus utar & bene constitutis. Largiaris, ut valetudine vivam prospera & inoffensâ. Et ut omnia brevibus dicam: Mentem mihi in sano corpore des sanam. Sic contentus sorte mea paratis fruar lætabundus. Sic in utraque fortuna animum securum, æquum, tranquillum semperque sibi similem servabo. Sic honestam aliquando, & vegetam, & hilarem vivam senectutem.  
 Sic in Paradisum mihi hæc Musarum  
 sedes convertetur.



211





Q.N. 532, 62.

B. M. II.



# ORATIO

QUA  
MENTEM HORATII

IN CARM. LIBR. I. OD. XXXI.

SIMULQUE SUAM

X 231306A

## SUB INGRESSUM

ATQUE

### PRIMORDIUM MUNERIS COLLEGÆ TERTII ILLUSTRIS AFRANEI MISNENSIS

CLEMENTISSIME DEMANDATI

*xxviii. I. PR. I. E. M.*  
A. D. JANUARIUM

A. R. S. cl. lccc xxxvi.

BREVITER EXPONIT

M. CHRISTIANUS FRIDERICUS WEISSIUS.

LITTERIS JOANNIS GUILIELMI HARPETERI

